

## Thes. VI.

**P**hraseologiæ verò, qvas Novatores nonnulli iis ca-  
villantur, tanti non sunt, ut ideo Symboli nomen iis  
detrahi patiamur. v. g. cum opponunt Augustanam  
Confessionem exhibitam non fuisse ad dissensum, sed ad  
consensum cum Ecclesia catholica s. universali testifican-  
dum, qvod in tantum admittimus, & à *Romana* tamen  
*Curia*, non ab *Ecclesia* dissentire asseveramus, prout Epi-  
logus Confessionis rectè dicit: *Nihil sibi ineffe, quod di-  
screpet à Romana Ecclesia*, nempe qvatenus ex Patribus, ut  
Germanicum, vel ex Scriptoribus, uti Latinum exemplar  
habet, scilicet Ecclesiasticis, (eo tempore non dum adeò,  
ut nunc castratis) nota est. Romanæ autem Ecclesiae fides  
atq; doctrina publica ex Conciliis & Symbolis oecumenicis  
cum primis adparet, qvibus Patres & scriptores addicti fue-  
runt. Privatas verò ipsorum sententias ipsiis, ut hominibus,  
errori æqvè, ac alii, obnoxiiis, relinqvimus, & ad publicas  
tantum ac Symbolis istis convenientes, hac in parte respi-  
cimus, ex qvibus sanè Papistæ nihil in contrarium adver-  
sus nos adducent: Tridentinum autem Conciliabulum  
nova planè res est, qvod tempore Augustanæ Confessionis  
exhibitæ, adhuc inter Non-Entia reputabatur, cuius qui  
deinceps articuli fidei facti, tunc temporis pro meritis *abus-  
bus* in Romano imperio habebantur. v. g. Communio sub una,  
Missa, qvatenus sacrificium est, item diseretio ciborum; Pa-  
pæ infallibilitas, qvam præsertim vel adhuc hodie Ecclesia  
Gallicana inter eos reputat, ut ideo Confessores non ma-  
le affuerint, dissensionem cum Adversariis, à qvibus pro  
ha-